

Christi, qui est ipsa sapientia, corriget aut emendabit? & nonne quod  
sic ordinatum, atque a Spiritu S. per Paulum repetitum est ad no-  
stram salutem, prævalebit ei, quod nobis est vitium aliter? Adeone &  
Ecclesiæ Collectio plane deserenda, quoties verbum Dei est audiendū,  
quam tamen Apostolus commendat & urgat Hebr. X. 25?  
Quod si enim in usurpando Sacramentum solitudo, vel congregatio  
minor ad devotionem magis conducit, cur nec idem in audiendo  
verbum valeret? Corruat sic publicus Dei cultus oportet, necessum  
que erit, ut coetus in conventicula dissolvatur, in quorum alio præ-  
valeat Apollo, Petrus in alio, in alio Paulus. Quale quid novum Co-  
sinthiorum schisma esset a Paulo reprehensum 1. Cor. 3. 4. Addo:  
Quid devotio aliud est, quam fidei exercitium, cuius in usu Eucha-  
ristiæ proximum objectum est universale Christi meritum, ad quod  
quilibet homo, quisquis sit, per fidem accessum habeat, cuius sig-  
num ac arrabo sic hoc sacramentum, scilicet Christum se pro omni-  
bus, applicative etiam, quotquot manducant, in mortem dedisse, &  
suum sanguinem pro omnibus, quotquot hic bibunt, in ara crucis  
profudisse. Quæ ergo major exfuscatio devotionis esse potest,  
quam si quis in frequentiori coetu secum expendat, stare se hic in  
communione gratiæ cum multis, sed communionem gloriæ cum ad-  
huc pluribus esse exspectandam, item coram DEO in participanda  
sua gratia nullum hic esse hominum discrimen, sive quis dives, sive  
pauper sit, modo credat, indeque Deo suo pro tam universalis gratia,  
& Christo Redemptori suo pro Universitate lui meriti gratias agat,  
firmiterque constituat, se propter Deum & Christum nunc quoque  
proximum, tanquam cohæredem æternæ & gratiæ & gloriæ, diligere  
velle. Hæc vera devotio circa Eucharistiam, cui cœrus copiosus  
non obest, sed prodest. Dicis, in frequentiori coetu competiri mul-  
ta obstacula, quibus mens distrahitur. Sed quis est vel ex vilissimis,  
qui dicere hoc non possit? Et nonne idem in solitudine fieri potest,  
ut priusquam Orationem Dominicam quis absolvat, agnoscat ani-  
mum aliquoties ita fuisse distractum, ut recollectione opus fuerit?  
Orandus est hic Deus, ut per Spiritum S. cogitationes nostras dirigat  
in hujus tam sacro-sancti Mysterii fervidam contemplationem, ob-  
stacula a nobis revocet, memoremque nostram exfuscat, ut attendat

piis